



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 7. Scientiæ utilitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

recalcitrat; nec minimis saltem digitis permittit se contingi. Et sicut pater vult filium suum huc, illucque, discurre; ut adducat, unde aliquando magnificetur: sic & Mundus vult hominem multis laboribus intrinseci; ut habeat unde superbiat, unde inflatur; & desipiat de vanitate in idipsum. S. Bernardus f. de libris Sapientiae c. 10. *dedit illi scientiam sanctorum.*

Pessimus mons, inflata scientia: in quem tamen videas usque hodie tantam concupiscentiam plurimos reperere filiorum Adam; ac si non noverint, quantum illorum pater in illius montis ascensu descenderit; imò quam graviter ceciderit. Id. f. 4. in Ascensu D.

Proh dolor! filia regis pulcherrima offertur nobis in sponsam; & magis eligimus copulari meretriculis scenicis, scilicet humanae, & mundanae philosophiae. S. Bonaventura in Pf. 118. 66.

Nihil egentius illa mente; quae de Deo extra Deum philosophatur. S. Diadochus Ep. de perfect. Spir. c. 7.

Scientia Philosophorum dicuntur tabernacula Jacob; quia mobilia: tunc enim in fine Mundi Astrologia non erit opus; quia non erit motus caeli; medicina, quia nullus infirmus &c. S. Vinc. Ferr. f. in Octav. S. Joan. Evang.

Xenocrates, ut ad calculum Syllabas revocaret, sudavit; & reperit ex litteris quod quomodo connexis, atque ordinatis, decem milliones, & ducenta Syllabarum millia, confici posse. Quam vanum, & ridiculum, studium! Doultreman l. 1. c. 3. sect. 10.

§. VI.

Scientia curiosa, inquirens inutilia.

Lectne censum dare Caesari? an non? Matth. 22. 17. Pessimi Herodiani se simulant legis inquisitores, ut operiant nequitiam. Justorum enim proprium est, circa legis praescripta excitare quaestiones, Dei viam requirere. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 10. Sect. 1. Obs. 6.

Herodes interrogabat eum multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat. Luc. 23. 9. Dionysius Carthus, ait, eum tacuisse: quia Herodes curiosa, & inutilia, scire voluit. Paolletti D. 15. Pent.

Tu quis es? Joan. 1. 19. Quot quaestiones hi Sacerdotes, & Levitae, excitaverunt? de Joanne omnes; de se nullam. Superaverunt illos turbae illae, quae Luc. 3. 10. eundem Baptistam de se interrogant, *quid faciemus?* & militum. Cum Joannes diceret, *medius vestrum stetit*, &c. quaerendum erat, quid faciemus? ut illum reperiamus. Nos similiter multa quaerimus; sed omnia de alijs rebus: de nobis rauca, aut nihil. S. Bernardus ep. 139. Abailardus nihil nescit omnium, quae in coelo, & in terra sunt; praeter seipsum. Barradius t. 2. l. 2. c. 14. moral. 2.

Hunc autem nescimus. Joan. 9. 29. Ecce quot nescientes, seu nescientiae, sunt de Christo: *ubi est ille?* respondit, nescio. Interrogantur & parentes: *quis ejus aperuit oculos?* & dicunt, *nescimus.* Omnes loquuntur de nescientia veritatis. Verum porro erat, quod ipsi nesciebant;

sed aliqui extra culpam, aliqui cum culpa. Sim. Cast. l. 5. c. 33.

Non est vestrum, nosse tempora, vel momenta. Act. 1. 6. 7. Erant hic solliciti de restitutione temporalis regni Israel; ut tradunt Justinus, Irenaeus, Beda. Debebant autem agere de regno Dei: de temporali regno ad eos non pertinebat. Sylveira in Joan. 4. q. 36. Erant solliciti de temporali restitutione regni; ideo curiositatem eorum reprehendebat; quia negligebant proprium negotium. Id. in Act. 1. 4. Inutiliter quaerenti Discipulo Magister sapiens non responderet. Non sciscitetur miles caestrensis, quod tantum scire spectat regiam majestatem. Plus novit docere, quam nos discere valeamus; & docet utilia etiam non rogatus. Hinc per II. 48. 17. dicitur: *ego Dominus Deus tuus, docens te utilia.* Multa suis Vatribus revelavit, quae providit in utilitatem hominum vergere. *Sed accipietis virtutem.* Plus est gratia; seu praesentia, Spiritus S. quam quaelibet praesentia futurorum. Hinc quoque novimus, quod Spiritus S. Apostolos non omnia docuit; sed quae in eorum, & Ecclesiae, cesserunt utilitatem. quod Paulus 1. Cor. 12. 7. refert. unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Sim. Cast. l. 14. Act. 1.

Hic autem quid? Joan. 21. 21. *Operam detis, ut quieti sitis, & vestrum negotium agatis.* 1. Thess. 4. 11. Notat otium, & curiositatem aliquorum Thessalonicensium: haec enim duo connexa sunt; indeque oritur inquietudo, vana desideria, invidia. Dicitur sibi putet quisque à Christo: *quid ad te? tu me sequere.* Cornelius 1. Thess.

Stultas autem, & sine disciplina, quaestiones devitas; sciens, quia generant lites. 2. Tim. 2. 23.

Melius est, nihil omnino scientem quempiam, nè quidem unam causam cujuslibet eorum, quae facta sunt, cur factum sit, credere Deo, & perseverare in ejus dilectione, quae hominem vivificat; nec aliud inquirere ad scientiam; nisi Jesum Christum Filium Dei, qui pro nobis crucifixus est: quam per quaestionum subtilitates, & multum loquium, in impietatem cadere. S. Irenaeus adv. haereses l. 2. c. 45.

Curiositas, est studium perscrutandi ea, quae scire nulla est utilitas. S. Anselmus lib. similit. cap. 26.

§. VII.

Scientia utilis.

ME dereliquerunt fontem &c. Jerem. 2. 13. *Foderunt:* quia cum labore magno scientias addiscunt curiosas, vanas, & lucrativas. Cum majori labore acquiruntur haec scientiae, quam scientiae salutis animae; ad quam gratis accipiendam invitamur II. 55. 1. *omnes sitientes venite ad aquas &c.* Plus valet, habere arborem, & usum fructum ejus; & nescire altitudinem, naturam, & ejus proprietates: quam haec omnia scire, & non habere fructum. Ita plus est, habere finalem utilitatem de Deo, & salutem animae; quam scire omnia attributa Dei, & ipsi non frui. Broymard Scientia.

Vobis datum est, nōsse mysteria regni caelorum. Matth. 13. 11. Sed cur Apostolis praeturbatur? Theophylactus: ille accipit, qui quaerit: ideoque Discipuli soli, quae interrogaverant, acceperunt, Mendoza in 1. Reg. 3. 17. Sect. 2.

Quis putas, major est in regno caelorum? Matth. 18. 1. Et Petrus de Joanne interrogat, Joan. 21. 21. *Domine, hic autem quid?* Et ipse Joannes ib. v. 20. *Domine, quis est, qui tradet te?* in hac autem occasione nullus audent interrogare. Quare? respondet S. Chrylost. hom. 32. quoniam illic res sua agebatur, ideo necessarii percunctati sunt: haec autem res nihil ad eos pertinebat. Sylveira in Joan. 4. q. 36.

Sedens super currum suum, legensque Isaiam Prophetam. Act. 8. 28. Tantus amator Legis, divinaeque scientiae fuit; ut etiam in vehiculo legeret literas sacras. S. Hieron. ep. 103.

Nihil ex eo amplius requirendum; quam ut quis ejus noverit voluntatem; sine qua ei nec legitime servire poterit, nec placere. S. Zeno Veron. f. 2. de Nat. Dom.

Tria sunt homini necessaria ad salutem: scilicet scientia credendorum, scientia desiderandorum, & scientia operandorum. Primum docetur in Symbolo, secundum in oratione Dominica, tertium in Lege. Sanct. Thom. Aquin. opusc. 14. c. 4.

Tu quis es? Breve thema; sed magnum pelagus. Utinam scires! utinam intelligeres! tu quis es? plus tibi prodesset, quam scire omnes scientias Mundi, & omnes bibliothecas. Quid enim tibi prodest, scire motus caelorum, & influentias aliorum? virtutes herbarum, proprietates animalium; & ut totam naturam scias? & nescire teipsum. Ecce curam habes de domo, de hereditate, de negotio, de familia; de mula, quam habes in stabulo; & te ipsum solum negligis? omnibus tuis das operam aliquam diei, & curae; tibi nullam. Teipsum tam vilem aestimas, & sic parvi pendis; ut non digneris de te curam habere! O anima misera! quid extra te vagaris? effusa, & divisa, per Mundum; à te alienata, & exul. Sanct. Thom. Vill. f. Dom. 3. Adv.

§. VIII.

Priori similis. Indaga, & scrutare, utilia.

Quaerivi illum, & non inveni. Cant. 3. 1. Ut inveniret, egressa domo, circum plateas; sed muta semper: patans, se perspicacissimis oculis, ubinam esset? exploraturam. At labor irritus fuit. Tandem incurrens in milites, quaerit: *num, quem diligit anima mea, vidistis?* Magnum mysterium! ubi id percontata est; Christus se ei spectandum dedit: illa cum eo locuta, eum adoravit, amplexata est. *Paululum cum pertransisset eos.* Modò sic ratiocinor. Quis ad Christum inveniendum aptior, quam ipsa Christi sponsa? Quis imperitior ad dignoscendam, ubi habitat Deus, quam miles otiosus, & mercenarius? Et tamen sponsa, nisi demississet se ad vigiles compellendos, aberrabat. Oliva t. 2. conc. 10.

Qui timent Dominum, inquirent, quae beneplacita sunt ei; & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. Eccl. 2. 19.

Hac dicit Dominus: state super vias; & videte, & interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona; & ambulat in ea. Jerem. 6. 16.

Venerunt autem & Publicani, & dixerunt - Magister, quid faciemus? Luc. 3. 12. Non dixerunt, quid sciemus? sed *quid faciemus?* quia non auditores legis, justii sunt apud Deum, sed factores. Rom. 2. 13. Et scientia, sine vita virtutum, obest magis, quam prodest. Dion. Carthuf. hic.

Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo? Luc. 10. 25. Non inutilis haec quaestio. Utinam nostra colloquia eò tendant, ut scire possimus; quid requiratur, ut salvi fiamus. De impertinentibus quaerimus: an Salomon salvus? quemodo opes cumulemus? Pauci Religiosos de sua salute interrogant, Stella hic.

Et interrogavit eum quidam princeps dicens: Magister bone: quid faciens vitam aeternam possidebo? Luc. 18. 18.

Quid Deus facere possit, quid non possit? discutimus; & quid nos oporteat facere? non attendimus. Inutilibus disciplinis plenus est Mundus: quibus dum bona implicantur ingenii, necesse est, ut in necessariis, & utilibus, minus valeant. Motus caeli dinumeras; & motus tui cordis ignoras. Influentias astrorum discutis; & passionum tuarum influentias non discernis. S. Thom. Vill. f. 1. in Ascens. Dom.

§. IX.

Scientia sit practica: fac, quae scis, bona &c.

Num. I.

Symbola, & Similitudines.

Ujus obturatus est oculus &c. Num. 24. 3. Aliqui per oculum accipiunt intellectum practicum. Licet enim Balaam in prophetia apertum haberet oculum intellectus, speculativum ad cernendum futura; clausum tamen habebat oculum practicum, qui eum dirigeret ad recte agendum: erat enim homo impius, v. 4. *qui cadit.* S. Gregor. hom. 9. in Ezech. cadens Balaam apertus habuit oculos: qui rectum, quod diceret, vidit; sed recte agere contempsit: cadens videlicet in perverso apertus habens oculos in sancta praedicatione. Corn. hic.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Pf. 118. 105. Ephrem. quid ais Propheta? lucerna nonne oculis lucet? nunquid pedes habent? quò igitur pacto omiffis oculis, visum pedibus attribuis? Sed bene ait: *lucerna pedibus &c.* nam pedes animae, sunt intellectuales oculi. Tunc anima feliciter progreditur; quando lux oculorum ad pedes transit: parum enim prodest, multa videre, & scire; nisi ad eadem pedibus contendas. Did. Niff. Dom. Sexag. §. 2.

Omnes